



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Tertio, Oratio, Qvam Nobis Christvs Tradidit In Evangelio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

**SECVNDO, ARTICVL
CHRISTIANAE FIDEL.**

Credo in Deum Patrem omnipotentem
creatorē cœli & terræ. Et in Iesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum qui conceptus est de Spiritu sancto, natus e Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem: remissionem peccatorum: carnis resurrectionem, & vitam æternam, Amen.

**TERTIO, ORATIO, QVAM
NOBIS CHRISTVS TRADI-
DIT IN EVANGELIO.**

Pater noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in temptationem: sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula seculorum, Amen.

HAEC sunt capita summè necessaria, quæ cuius Christianorum primò perdiscenda sunt, atq; ad verbum recitanda. Sunt autem ad hoc quotidiè

*Exercitii
Catechis-
smi.*

assuefaciendi pueri, vt quoties manè è stratis surrexint, & ad capiendum cibum accesserint, & sub vesperam iterum dormitum ierint, memoriter recitent, neque ad cibum aut potum admittantur, nisi his omnibus antè diligenter recitatis. Non secus boni patris familiæ officium herile exigit cum familia, nempe cum seruis & ancillis agere, neque quenquam in famulitio suo perferre, ista nescientem aut recusantem discere. Neq; enim vlo modo ferendū eit, vt hominum aliquis vñq; adeò ferus sit & barbarus, qui hæc nolit discere, cū in hisce tribus partibus summarim ac rudirer, & quoad eius fieri potuit, simplicissimè comprehēsa sint omnia, quicquid passim in sacris literis lōgè lateq; tractamus. Etenim sancti Patres aut Apostoli (quicunq; tandem illi fuerint) huiusmodi compedium complexi sunt Christianorum doctrinam, vitam, artem, & sapientiam, quæ de re loquantur & tractent, aut quid tandem id sit, quod exerceant.

*Offitium
patrisfa-
miliæ.*

*Autores
Catechi-
smi.*

Perceptis itaq; diligenter hisce tribus articulis, deinceps consentaneum est etiam nosse, quid de Sacramentis nostris dicendum aut sentiendū sit, quæ Christus ipse instituit, nempe de Baptismo, & de Corpore & sanguine Iesu Christi. Cum primis verò refert scire verba Matthæi ac Marci postremis capitibus Euangeliorum relata, quemadmodum Christus ex hoc mundo discedens, ultimo munere suos affecerit discipulos, eosdemq; à se donatos dimiserit.

DE BAPTISMO.

ITe, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

C c

Qui